

THESES MISCELLANÆ,

Quas

SUB PRÆSIDIO

Theologi Consummatissimi,

VIRI

MAGNIFICI, ATQVE REVERENDISSIMI IN CHRISTO  
PATRIS AC DOMINI,

**DN. D. JO. FRID. MAYERI,**

Academiae Pro - Cancellarii Magnifici,  
& Fac. Theol. DECANI,

*Dn. Patroni, Fautoris, ac Praeceptoris,*

*Plus quam filiali cultu, per omnem aetatem meam,  
submisse prosequendi,*

Pro primo in Theologia gradu,  
quem BACCALAUREATUM vocant,

Ex

Indultu Venerandae Facultatis Theologicae consequendo,

*Ipsa Die Natali Regis Nostri Clementissimi,*


*D. 17. (27.) Junii Anno 1708.*

Placido Eruditorum Examine

ventilandas exhibet,

**M. MARTINUS HEGARDT,**

Malmog. Svecus.



GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acad. Typogr.

Coll. diss. A  
196, 39

54. A. 196 (39)

*140*  
~~11~~. 22. <sup>6</sup>







*In Nomine SS. Trinitatis Amen.*

§. I.



Non possumus probare sententiam Authoris, qui conscripsit prodromum Corporis Theol. Hagz Comitis Anno 1682. edit; qua Theologiam quatuor partibus, nimirum fide, morum doctrina, historia & prophetia Biblica constare debere contendit, ita quidem, ut consensio potissimum inter Prophetas & historias occasione Philosophiæ mysticæ Orientalis sit quærenda. Vid. Aut. des A. und N. aus dem Schatz Theologischer Wissensch. 1701. p. 78. &c.

§. II.

Qualis Theologia sit habitus, an practicus, an vero theoretico-practicus sive mixtus, æquidem inter Theologos disputatur, at vero ex Judicio B. J. A. Osiandri, & Magnif. DN. D. FECHTII, *Fautoris ac Præceptoris mei veneratissimi*, Controversia hæc non est realis, sed nominalis, ex diversa vocum acceptione expediunda; Est nimirum habitus mere practicus ratione finis, in quantum omnes Conclusiones Theologicæ ad praxin tendunt; non est mere practicus ratione formæ, quatenus multa in Theologia occurrunt, quæ in sua definitione nullam praxin sive actionem involvunt. Quod sit habitus mixtus, inde patet, quia ex diversi generis Conclusionibus constat, cum vero hæ non sint inter sese confusæ, inde hoc respectu habitus mixtus dici nequit. Vid. Dn. D. Osiandri *Coll. Syst. p. 1. Proëm. p. 3.* Magn. DN. D. FECHT. in *Coll. Missio in B. König. Theol. Posit. Loc. de Theol. §. 14. & Coll. in Syll. Controv. ad Dissp. 2. §. 5.*

§. III.

Patet hinc etiam Theologiam Impiorum esse practicam, quamquam enim actu ipso homines impii eam ad praxin non deducant; sufficit tamen, quod Theologia ad praxin illis sit data; perinde ut medicamentum efficacissimum manet, licet propter vitium ægroti nullam exercent operationem. Contra Pietistas: Vid. Magn. DN. D. FECHT. in *Coll. MSSio Anti-Pietist.*

§. IV. Quæ



§. IV.

Quæ alias de genere Theologiæ ex habitibus Aristotelicis inter Scholasticos disputantur, ea nullum habere usum existimamus. *Judicio B. D. Schomeri in Spec. Theol. Moral. Cap. 1. §. 17.* dato, quod hoc est; si vocibus uti liceat, ut extra scholas communi usu etiam ipsius Scripturæ probantur, omnes habitus Theologiæ applicari possint, nixi. Nos pugnamus pro scientia. Vid. Consummatiss. nostra ætate Theol. Magnif. Dn. Pro-Cancell. Præfidis ac in CHRISTO JESU Patris plus quam filiali pietate prosequendi, TIMOTHEUM.

§. V.

Quemlibet in sua religione salvari, neque de Gentilium salute dubitari posse; Indifferentistarum speciatim D. Petersenii in pestilentissimo libro: *Oeconomie der allgemeinen Liebe Gottes* commentum est, jam diu à Theologis nostris explosum. Vid. *B. Musei examen Cherburianismi.*

§. VI.

Experientiam esse Theologiæ Principium, est dogma, quod ex Platonis schola originem ducit, à Theologis nostris, speciatim à *Dn. D. Schelvig. in Synops. art. 4. qu. 9. 10. § 11.* DN. D. KRAKEVITZIO, *Fautore ac Præceptore quondam meo colendisimo, in Oratione Inaug. ad Profess. Theologicam, & Dn. Buchero in Platone Mystico solidissime refutatum.*

§. VII.

Præter Scripturam S. non datur alius rerum Theologicarum Canon, quæ enim Democritus & Hyperaspistes Arnoldi, de Canone fidelium interno fabulantur, ut inania somnia in *Dissert. de Canone* rejecit Magnif. DN. D. FECHT.

§. VIII.

Quemadmodum integra Scriptura S. ad nostram salutem est scripta, ita errat Author libri: *Religionis Christianæ, promi in sacris literis traditur rationalitas*, Londini 1695. in 8vo, quando negat Epistolas ab Apostolis scriptas ad salutem esse necessarias, vel ex iisdem

dem



dem religionis nostræ fundamentum discendum. Vid. *Act. Lips. de Anno 1696. p. 468.* & DN. D. GRAPPII, *Fautoris ac Præcept. mei honoratissimi, Coll. MSS. Isagog. in N. T. præm. Cap. 1. §. 10.*

§. IX.

Scholasticorum Existentiam DEI ex tribus viis, *causalitatis, eminentiæ, & negationis* probandi methodus ex Scripturis est petita. *Conf. Rom. l. 20. Act. XIV. 15. Psalm. XCIV. 4. Num. XXIII. 19. Psalm. L. 13. & 21. Job. XXII. 3. 4.* Male ergo D. Thomasius in *Jurisprud. Divin. & human. lib. 1. cap. 3. §. 54. &c. pag. 109. &c.* eam rejecit.

§. X.

Cum DEUS sit spiritus proprie sic dictus, membra corporea de eo prædicata per *ἀνθρώπων θεῖον* quidem dicuntur, sed *θεοπεποιτός* sunt intelligenda. Contra B. Bohlium & M. Franckium. Vid. *Hülsem. in Præl. in Form. Conc. art. 2. cap. 4. §. 6. pag. 253. &c.* & Magnif. DN. D. FECHT. in *Philocal. : sacr. Thes. Polem. 61A.*

§. XI.

Quia tres tantum in SS. Trinitate sunt personæ, neque cum Burrhy sive Borrhy, Medico & Chymico Italo Virginem Mariam; neque cum Godofr. Arnolde & M. Peterzenio Sophiam Divinam; neque cum Quackeris lumen aliquod sive Spiritum internum pro quarta in Deitate persona agnoscimus. Vid. DN. D. GRAPPII *Theol. Controv. de Mystero SS. Trinit. qu. 5. Aut. der Unsch. Nachr. de Anno 1702. pag. 367. de Anno 1703. pag. 546. Dn. D. Schelvig. in Quackerism. Confut. P. 1. pag. 119. &c.*

§. XII.

Quæ vero Personæ neque tres characteres & emanationes cum Democrito; neque nudum respectum DEI in relatione ad creaturas cum Joh. Wallisio Anglo; neque tres mentes infinitæ, vel tres spiritus & substantiæ individuæ cum Gvilielmo Scherloko Anglo; neque animæ facultates, intellectus, judicium & voluntas cum Hermanno Deusingio appellandæ sunt. Vid. Magnif. DN. PRO-CANCELLARIUM in *Epist. de Controv. Anti-Trinit. in Anglia recens agitatis. DN. D. GRAPPIUM loc. cit. qu. 7. 8. Dn. D. Neus in prob. art. 1. §. 3. pag. 107. &c.*

§. XIII. Mon-



§. XIII.

Monstrosa & plane inaudita est D. Scotti, Medici Hannoverani, opinio de Incarnatione DEI Patris in carne peccaminosa, ita ut Pater Incarnatus per fidem in meritum Filii sit salvandus, & de Spiritu S. in sexu foemineo incarnando. Vid. DN. GRAPPI *Coll. in Lib. Symb. art. de DEO §. 8. antithes. num. 7.* Simile huic est quorundam fanaticorum delirium de Spiritu S. à Patre & Filio in hunc mundum mittendo aliquando, ut incarnetur; atq; figmentum quorundam Pietistarum de CHRISTO adhuc semel incarnando, imo jam re incarnato Anno 1696. Gutemburgæ in Comit. Bareytenfi, quæ à Culenbachia distat uno milliari; de quibus vid. Magnif. DN. PRÆSES in *Programm. Utrum speranda Spiritus S. Incarnatio, & Kurzen Bericht pag. 28. &c.* Quæ omnia tam vera sunt, quam vera fuit fabula illa de Infante Aleppo ante annum nato, sicut recensebatur in literis publicis Hamburg. Paris. Anno 1707. die 7. Febr. verba ita fluebant: Zu Marseille sind Brieffe von Aleppo angekommen / welche die Geburt eines Kindes / so der Messias und Anti-Christ genennet wird / und an welchen einige Nationes aus den Osten zu glauben angefangen / bekräftigen / demselben schreibt man verschiedene Wunderwerke zu / mit dem Beyfügen / daß an desselben Geburts-Tage sich viel Himmels-Zeichen sehen lassen. Figmenta hæc esse, iisdem literis publicis post aliquod tempus nuntiabatur.

§. XIV.

DEUM vel ex se ipso, sive ex sua essentia, ut Böhmi hodiernorumque Pietistarum habet opinio, vel per Imaginationem sive Ideam, ut Becherus propugnat, hoc universum creasse, est purum putum figmentum, quod nullo Scripturæ apice probari potest. Vid. *Hinckelm. in detect. fundament. Böhmi; & Aut. der Unsch. Nachr. de Anno 1703. pag. 798. &c.*

§. XV.

In Luna habitare homines aliaque animalia, ii credant, qui figmentis nugisque delectari solent.

§. XVI. Quam



§. XVI.

Quam fallax sit Astrologia judiciaria, quæ de futuris rerum eventibus fortuitis, occultis & incognitis, de futura hominis conditione, vitæ genere, morte, mortis genere & tempore judicare, & vera prædicere sibi sumit, vel solæ recentissimæ Nobilis cujusdam Angli, cui nomen *Isaac Bickerstaff*, prædictiones, quæ ex Anglica lingua in Germanicam sunt translatae, ostendunt. Experientia siquidem probavit, eventum prædictionibus non respondisse.

§. XVII.

Neque Angeli, neque homines interiora animæ & secreta Cordis alterius hominis indagare vel scrutari possunt; καρδιγνωσία enim est reservatum solius DEI, 1. Reg. VIII. 32. 2. Paral. VI. 30. Actor. I. 24. Jer. 17. 10. &c. Vanum ergo est Thomasi artificium, aliorum hominum animos dignoscendi; Vanum est, quicquid Spenerus & alii Pietistæ de spirituali regenitorum sympathia fingunt. Vanum denique est, quicquid novissime Dn. Jouvernay, Theologus Gallus, in Enchiridii physiognomiæ, Gallice editi præfatione in laudem physiognomiæ propterea adduxit; de quo vid. J. C. Læscheri *Observ. Select. fasc. 2. Observ. 10. pag. 77. &c.* Neque merentur fidem, quæ Anton. le Grand. & M. Joh. Schulerus, Prof. Bredensis de καρδιγνωσία Angelorum commenti fuere, quos refutavit inter alios B. Nathan. Falck, in *Disp. de hoc argumento.*

§. XVIII.

Ut vita æterna Angelorum bonorum atque hominum beatorum, nullum habeat finem, ita è contrario frustra liberatio Angelorum malorum atque damnatorum ex inferno promittitur, atque defenditur. Contra Neo-Evangelistas. Solidissime hæc demonstravit pro more suo Magnif. DN. PRÆSES in *Leet. Publ. novissimis. Conf. DN. D. GRAPPI Disp. Inaug. de Æterno Evangelio.*

§. XIX.

Non tres, sed duas esse essentielles hominis partes, animam & corpus, vel ex sola Creationis historia constat; sicut pluribus hoc contra Observatorem Hallensem Germanicum erudite admodum ostendit



ostendit Summe Rever. DN. D. BRAND. HENRIC. GEBHARDI,  
Fautor ac Praeceptor meus ad cineres usque devenerandus.

§. XX.

An damnati in inferno DEUM sint sine fine blasphematuri,  
atque adeo peccaturi? non consentiunt Theologi nostri. Affir-  
mativam viginti argumentis probavit *Magnif. DN. D. FECHT.*  
ad totidem argumenta in contrarium adducta solidissime respondit  
in *Tract. de Statu Damnatorum*, qui hodie recusus prostat.

§. XXI.

Temerariae, nulloque Scripturae apice probandae sunt Pontificio-  
rum de Inferno speculationes, quando illius ( $\alpha$ )  $\pi$  designant,  
quod sit terrae centrum. ( $\beta$ ) Capacitatem demetiri volunt, dispu-  
tantes, an mensura 20000. pedum cubice sumpta sufficiat, si dentur  
sex pedes quadrati singulis damnatorum corporibus, vel si compin-  
gantur damnatorum corpora sicut haleces in vase, an plus quam 80.  
millia millionum corporum capere possit? an tanta ejus sit capacitas,  
quantum spatium est inter Romam & Bononiam, aut inter Buxellas &  
Parisios. Nos censemus, ubi Infernus sit, non liquere, & satius est,  
cogitare de Inferno fugiendo & vitando, quam cognoscendo &  
speculando.

§. XXII.

Nemo nisi Atheus & Empecta de Extremo Judicio & Consum-  
matione seculi futura dubitat, quanquam neque tempus, neque  
locum, neque durationem horum omnium definire possimus. Dicit  
interim, qui testatur haec: *Ne, veni cito: nos applaudimus inge-*  
*miscntes: Amen: Ne, veni Domine JESU. Apoc. XXII.* Gratia Domini  
nostri JESU CHRISTI sit nobiscum omnibus  
A M B N.

SOLI DEO GLORIA.

☞ ): ( O ): ( ☞



Coll. divos A. — 196, 39